

EPISTOLA
PATRVM LVSTANORVM
SOCIETATIS IESV
AD SOCIOS QVI ROMAE
VERSANTVR.

DE
Duodecim eiusdem Societatis pro Catho-
lica Fide interfectis, Mense
Septembri 1571.



Cum Licentia Superiorum.
Neapoli. Apud Iosephum Cacchium.
1 5 7 2.

LIST OF

THE LANCET

SOCIETY

OF LONDON

1847

1847

THE LANCET

OF LONDON

1847



THE LANCET


OF LONDON

1847

AD MODUM REVERENDI

Patres et fratres in Christo carissimi.

Gratia & pax Christi. &c.



XITUM Ignatij. Azebe-
dy, & Sociorum nouem &
triginta iam cognouistis, ut
credimus; qui Brasiliam una
cum Aloisio Regio Praefecto petentes, ut
in ea prouincia, rei christianae procuran-
dae causa, more nostro collegia institue-
rent, in itinere a Calvinianis oppressi, vitam
in professione fidei Catholica profuderunt.
Nunc aliorum XLIII, qui anno post, in ea-
dem causa parem praestiterunt animi forti-
tudinem (septuaginta enim è nostris Ulyssip-
pone discesserant plures in naues imposi-
ti) persequemur eo ipso ordine, quo rem to-

A ij tam

am alter duorum, qui Dei benignitate su-
persuadere, nobis exposuit.

Post obitum Ignatij, cum Lusitanica na-
ues à Madera Insula cursu in Brasiliam di-
recto soluissent, alia alium euentum sortita
sunt: ea vero, qua Petrus Dias cum socijs
aliquot vehebatur, ad Cubæ insulæ por-
tum, cui a sancto Iacobo nomen est, flucti-
bus, & procellis adeo labefactata peruenit;
ut eam relinquere plane sibi necessarium du-
xerint. Sed cum alia esset ibi nulla, Bonam
eiusdem insulæ portum, Leucas ducentas in
Orientem procedere statuunt; ac tridui pri-
mum iter emensi pedibus, & quidem excal-
ceatis, imbre denso, atq; perpetuo, via terer-
rima; difficultatibus præterea, ut in eiu-
smodi regione, maximis, exiguo & aperto
se se committere nauigio, ventis pluuiæq; adeo
expositi; ut non commeatus modo corrump-
peretur humore nimio, sed & ipsa quibus
erant induti vestimenta pene putrescerent.

Eo nauigio leucas quatuor & septuaginta
 Bonam vsq̃ prouecti, maioris formæ nauī
 in eo portu conducta, Augusto mense deniq̃
 ad insulas Tertiarias, Aloisium Regium
 Praefectum, & e nostra societate Franciscū
 Castrum, & quinq̃ fratres, qui antecessē-
 rant, assequuntur. Hic Aloisius, nauali
 turba vehementius imminuta, quod & ex
 oneraria ipsius in tam difficili, ac diuturna
 mensium quindecim nauigatione viri sexa- (ad locum
et) m
 ginta perierant, & ad Antillas substiterant
 multi, etiam laboribus, periculisq̃ defati-
 gati, mutato consilio in Lusitaniam inde re-
 uerterant; cum superesset vectorum et nau-
 tarum vix quod in vnā satis esset onerari-
 am (in quibus tamē ipsis fœminæ quinque et
 viginti, imbelli cum puerorum grege nume-
 rabantur) reductis in vnum omnibus, cap-
 tum iter vnica nauī peragere instituit; sol-
 uitque feria quarta, octauo Idus Septem-
 bris. Porro e societate nostra (eodem alijs

tere tempestate disiectis, de quibus nihil dum
certi compertum est) quatuordecim aderāt,
Patres duo, Petrus Dias, & Franciscus
Castrus; duodecim Fratres; Alфонsus
Ferdinandus, Caspar Gois, Andreas Pais,
Ioannes Aluares, Petrus Dias, alter eo-
dem, quo Sacerdos nomine, Ferdinandus
Aluares; & ex Nouitiorum numero; Mi-
chael Tarraconensis: Franciscus Paulus,
Petrus Ferdinandus, Sebastianus Lopes,
Didacus Ferdinandus, Didacusque Car-
uallius. Dies octo in altum Oceanum pro-
spere flatu prouecti; naues quinque sole iam
occidente conspiciunt, quarum erant Galli-
cae quatuor, vna Anglica. Ea, dissimula-
to in noctem usque consilio, conuersis deinde
repente proris, vento secundo nauem nostrā
insequuntur. Id vt animaduertit Aloisius;
ratus (id quod erat) & hostes esse, & here-
ticos; aduocata statim concione, socios naua-
les ad praelium acriter inendum hortatur,
mortemq;

mortēq; ut Christianos deceret, pro Catholica
religione fortiter obeundam. deinde arma
expediri, culcitra locis opportunis præten-
di, saxorum vim congeri; sulphurei pulue-
ris cados promi celeriter imperat: dispositis
denique ad pugnam stationibus, peccata rite
confessus est ipse, & ceteri, quibus ea nocte
confitendi spatium datum est. verum inal-
bescente iam die, rostrata hostium navis ex
earum genere, quos Galeones appellant, ad
nostram appropinquauerat, amplior &
eminentior multo; duabusq; tormentorum
significationibus de more, iusserat à Lusita-
nis vela submitti, cum illi nequaquam pare-
rent: tum hostes facto ter in onerariam im-
petu, quinque ex eorum numero occidunt,
septemdecim, eosque fere omnes in cruribus
vulnerant, sic, ut funibus, ne caderent, al-
tera manu apprehensis, non nisi altera decer-
tare possent. Et quamquam hæretici è supe-
riore admodum loco pugnabant; haud ta-

men in cruentum eis fuit certamen : siquidem
& initio dimicationis homines fere viginti
amiserunt, vulneratis præterea circiter unde-
cim ; & deinceps tribus bombarda ictibus
læsi gravissime sunt, quorum uno diffra-
ctus malus & vela prostrata ; altero perfo-
ratum Carinae latus non sine magno eorum
discrimine aquas accepit ; tertio discerpti de-
cem simul hæretici, quæ tametsi erant om-
nia non levia incommoda, nihil tamen hostes
æque perturbavit ac vela deiecta, prorsus
ut de se actum iam arbitrarentur. Tum
vero ex ipsa desperatione omnibus connixi
viribus, quartum iam nostros inuadunt, &
minore quam putauerant negotio superant.
decem quippe non amplius propugnatores
erant relictæ, quorum quinque in prora col-
locati, primo impetu cecidere. Itaque pate-
facto iam aditu, hæretici ad sexaginta vi ma-
xima irrumpunt, quos Aloisius, cum duas
ferreas glandes alteram accepisset in pecto-
re,

re, alteram in crure, quamquam exhaustis
iam corporis uiribus, magno tamen animo
constituit operiri gladioque, et scuto nunquā
abiecto, ad extremum usque spiritum dimica
uit egregie. Eius morte a reliquis deditio facta.
quæ tamen ad mitigandam hostium crudeli
tatem minime valuit. nam diabolicis instincti
furijs, obuios quosque obtruncant: Aloisium,
ignari quis esset, nudatum, itemque aliorum
corpora, multis adhuc spirantibus in undas
proiciunt. Versus deinde in Sanctorum reli
quias, & sacras imagines furor, quarum erat
ingens in ea nauis numerus. Has heretici Ca
tholicis per vim extorquere, trahere per tabu
lata, calcare pedibus, in ignem denique gra
tulabundi conijcere: blasphemias in beatos illos,
quorum erant reliquæ, spiritus euomentes,
quas horret animus scribere. quin etiam re
pertas vigesimo post die statuas duas, alterā
sacratissimæ Virginis, alteram Angeli, ela
tas in publicum, sacrilegis fregere manibus,

caput Angeli per ludibrium tota naui circumferentes. Tertium & trigesimum, vaganti diem, capto etiam Algaruēsi nauigio, prædam exposuere postremo, ad Oruium promontorium ora Callaica. Classi præpositus erat Ioannes Cadauilius Gallus, hæreticus vehemens, & Ecclesiasticorum ordinum inimicus acerrimus. Rostrata vehebatur eadem, qua Iacobus ante Soria Ignatium Azebedium, & comites ceperat & occiderat. In Aloisium vero præfectum incidere Calviniani, cum ab insula Comera, eam depopulati, soluisent. atque is fuit Aloisii et Lusitanorum obitus. cuius de fortitudine, virtuteq; frater noster ita multa commemorat; ut pro certo habendum sit, animam eius in cœleste domicilium commigrasse. Nunc veniamus ad nostræ Societatis homines, quod maxime nobis propositum est. Si, cum hostes infesti aduentarent, a media nocte ad lucem usque expiandis per confessionem criminibus quisque suis vacarunt. Deinde
de ta-

de tabulata subire iussi, non nisi cōmisso præ-
lio ascenderunt ad animandos milites, cibo re-
creandos, & curanda vulnera. Sed quo tem-
pore facta est deditio, in summa naui, præter
Castrium exstabat eorum nemo: namque is
paulo ante ad excipiendam vnius e gubernatoribus
confessionem ascenderat ad imam
proræ turrim, ex vulnere agentis animā. In
eo munere occupatum, hæretici vulneribus
quam plurimis punctim, caesimq; confodiunt,
ira maxima perciti, nimirū eo quod Ecclesiæ
sacramenta ministrantem offenderant. Nā
in ceteros non adeo sæuere: in Castrum vero
certatim omnes. Sub idem tempus Petrus
Dias, qui ad eam vsque horam confes-
sionibus eorum qui sub tabulatis erant, operam
dederat, atque hilari semper ac sereno vultu
animauerat ceteros, Gaspare Coe sequente,
in apertum prodijt. Ut primum apparuere,
vtrunque Galli confestim occidunt: nec pue-
ro quidem ætatis admodum teneræ parcūt,

qui a Petro agre se se diuelli patiebatur. At
que hoc maxime modo tres in primo congressu
exsi ac nudati, deiciuntur in mare. Tum vn
decim reliqui, sedato iam paulisper tumultu
se se inuicem plenis pietate sermonibus adhor
tati, vltro in editiora nauis euadunt: nec
modo, latendi caussa, in ceteram turbam se se
non inserunt; sed etiam in vnum, dedita ope
ra, conglobati omnes, aperte profitentur se
& eiusdem esse religionis, cuius tres modo pe
reempti, et aque paratos ad mortem commu
nis Domini gratia subeundam. Quos, circū
fusi confestim haretici, dictis factisque eo die to
to contumeliose, ac petulanter illudere ac di
uexare non desinunt, cum illi responderent
nihil, nisi siquid ad honorem Dei, vel ad di
gnitatem Ecclesiæ Catholicæ pertineret.
Ubi nox adfuit, manus ad terga religan
tur infontibus: atque inter vinciendum,
accidit vt Michael Tarraconensis e vul
neribus quæ in brachijs principio acceperat,
inge-

ingemisceret - Quæ res tantum absuit,
ut ad misericordiam permoueret hæreticos;
ut etiam arreptum furenter hominem, mul-
ta ingerentes probra, è naui præcipuaue-
rint; & ne in comitatus abiret, Franciscum
quoque Paulum (nam is erat proximus) eo-
dem impetu deturbauerint. Ceteri omnes
vinclis (ut dicebamus) iniectis, in Aloisij
cubiculum detruduntur: adhibitisq; custodi-
bus totam eam noctem, partemque insequen-
tis diei, prope per inediam transigunt: cum
interea super alios alij ad ostium adessent car-
ceris, modo læta, modo tristia nuntiantes:
quidam etiam truci obitu, strictis mina-
citer gladijs fremerent. Latrones, Papistæ,
ecquis erit aliquando qui vitam vobis eri-
piat? & alia eiusmodi. Interea nostri, qua-
si futura prospicientes, magno animo se se
ad extrema quæque parauerant: nec eos
fefellerit opinio. Nam educti e carcere, dam-
nantur capitis. Iamque parabantur laquei

ut suspenderentur singuli e maximo navis
malo; cum Præfectus, maioris prædæ spe,
quod eos putaret pecuniam, ad templum in
Brasilia exædificandum, secum attulisse,
rem in præsentia distulit; sed eorum com-
perta denique inopia, Petro Dia, Dida-
còque Caruallio ibidem relictis, septem reli-
quos in rostratam ex oneraria transferunt.
Hic eos hæretici denuo circumstiterent; nec
solum in fratres nostros, verum etiam in
Romanum Pontificem Christi Vicarium,
in Ecclesiasticos ritus, in Sanctos eorumque
venerationem, denique in sacramentum
ipsum altaris, contumeliosa atque impia
verba proferre. ad quæ cum illi fortiter
admodum responderent, cadebantur pu-
gnis, alapisque frequentibus, defensores
Catholicæ fidei: quin etiam exquireban-
tur diligenter in summis caputum vertici-
bus, sacra quas appellant corona, quarum
hæretici si quas inuenerant, has vero iterum

terumque singuli tundere ; & simul iur-
gis & maledictis in eosdem inuehi cum
alijs multis , tum illis presertim ; canes ,
fures , veteratores ; per vos stat quo mi-
nus conspirent vniuersi mortales atque con-
sentiant ; sublatisque discordijs , ac tumult-
ibus , tranquilla omnes pace , atque otio
perfruamur . Vestro scelere non modo
Germania , & Gallia , verum etiam Bra-
silia , atque adeo toto terrarum orbe pra-
eclara doctrina diffunditur . Erat e nouitio-
rum numero Petrus Ferdinandus , Fa-
brer lignarius , omnium recentissimus ille
quidem ; sed apprimè humilis & magna
virtute vir . Is , initio deditiois , pileo
salarique tunica exutus ab hostibus ; ne-
deinde fallente vestitu pro seculari habe-
retur , & præclaram pro CHRISTO
morandi occasionem amitteret , aggrega-
at se ad fratres identidem , vultu ocu-
isque ad modestiæ religionisque signifi-
cationem

cationem ita compositis, ut vel ex eo
satis intelligerent heretici, hominem
esse de nostris. Quo etiam vehementius
irritati, caput eius arreptum, utraq;
manu subrigere, Colaphis petere, digitis
oculos aperire, palpebrasque distendere,
paxillos denique mento subdere, ne vul-
tum demittat. ad hæc, illum contumelijs
incessere eiusmodi; Canis attolle faciem;
frontem exporrige. quæ ille nimirum ex-
cipiebat tanta non solum animi æquitate,
sed etiam oris hilaritate, ut eo bono se in-
dignum existimans, conuersus ad Deum,
diceret. Quo meo mihi merito hoc tribuis,
ut pro te patiar, Domine? Per hanc simul
procacitatem atque sauitiam heretici cum
se se miseri diutius oblectassent, alij demum
alio varios in usus digressi sunt; spati-
umquem fratribus datum ad inflamma-
dos mutuis cohortationibus animos, vi-
resque recolligendas: quo in genere.

Petri maxime Ferdinandi, eius quem mo-
do dixi caritas, ac virtus enituit, cum in sin-
gulos congressus, lætissimo semper vultu, ce-
teros ad constantiam, ac fidem accenderet,
etque ad agnoscendam insignem hanc in se
Dei beneficentiam, multis rationibus exci-
taret. (Cuiusmodi sermonibus dum se inui-
cem confirmant fratres, magna rursus cir-
cumuenit eos hæreticorum manus. Institui-
tur de religione certamen, ex quo, ut ge-
nus videatis, vnum attigisse sat fuerit.
Oppugnabant hæretici supplicationes &
preces, quibus auxilium a Sanctis more
Catholico exposcimus. qua in disputatione
prior coortus quidam ex ijs, Non ne, inquit,
eruditus, in nostra potestate vos esse capti-
vos? quin vos igitur Maria virgo, Sancti-
que, quorum opem implorandam affirma-
tis, e manibus nostris eripiunt? cui fratres;
expediat nos esse superstitēs; sacratissima
virgo Sanctique, & vitam nobis a Domi-
no,

no, & libertatem obtineant utique: sed quia
præstat emori, idcirco non impetrant. Hac
& alia id genus respondebant fratres: quæ
illi cum ferre non possent, amentes iracun-
dia, & rabie, consputabant ora subinde no-
strorum: quin etiam quodam Alphonsi
Ferdinandi responso permotus unus ex ijs,
furensque: ob id ipsum, inquit, quod ita di-
xisti, peribis. cui Alphonsus, ut pote Pro-
minister: Non solus ego sed omnes plane
mori parati sumus. Atqui expectate (ait
hæreticus) Molossi canes, caput egomet vo-
bis præcidam, vosque (meam fidem testor)
in mare projiciam. Hac altercatione in
cœnam usque ducta, discedunt hæretici:
fratres vero tempus nacti rursus molestia
vacuum, de integro adhortari se mutuo;
diuinam opem in tali tamoque salutis æter-
næ discrimine expetere; Christi morte cruci-
atibusque memoria repetendis, se se ad per-
seuerantiam, atque fortitudinem incitare;

Deo

Deo denique pro tam præclara sibi oblata be-
ne moriendi occasione gratias agere. Interea
hæretici expleto epulis uentre, animi quoque
feritatem extremo supplicio nostrorum exsa-
turare constituunt: nec mora singulos octoni
denique circumstant, exutosq; tunicis, quanta
maxima ui quam possunt longissime a nau-
ibus, eiaculantur in pelagus. Ac Petrus
quidem Ferdinandus, & Ioannes Aluares,
natandi minime periti fluctibus hauriuntur
illico; ceteri quinque unum in locum diuini-
tus congregati, diu sese sustentant, postremū
vale sibi dicentes inuicem, ac veniam inter se
delictorum petentes. Didacus uero Ferdi-
nandus, quem una cum Sebastiano Lope (qui
deinde superstites ambo fuere) sub noctem hæ-
retici quidam quasi diuino iussu, cibo potuque
refecerant, ualidius uiribus, classem, quod e
repentina pluuia uenti quieuerant, tardius
euntem assequutus, & nescio quo pacto in unā
nauium acceptus, diuina consilio providen-
tia

tiā mansit incolumis. luctantur cum flucti-
bus reliqui, & quamquam in summa diffi-
cultate ac defatigatione, apostolico Symbolo,
precibusque tundendis ad Deum, se se contra
spiritalēs nequitias communire non desinunt.
iamque nox erat media, cum Alphonso Fer-
dinando in uerba praeunte; certos e quin-
quagesimo psalmo uersiculos decantare ca-
perunt, atque illum praesertim: Tibi soli pec-
cavi, &c. Verum lassitudine tandem uictus,
& aquarum ui obrutus Alphonsus extin-
guitur; spectata probitate, ac religione uir;
cuius praecipue robur animi, ac uirtus in ha-
reticis modo refutandis eluxerat. Hunc
autem eo consilio e Lusitania secum abduxe-
rat Azebedius, ut philosophiam, cui magna
cum laude uocauerat, in Brasilia provincia
profiteretur. Alphosum secutus est mox, Je-
sum inuocans, Andreas Pais: postremus om-
nium Ferdinandus Aluares mergitur. Tū
Sebastianus Lopes in mari medio, nocte intē-
pesta,

pesta, densis tenebris, imbre maximo dereli-
ctus, elatum sorte quadam in classe lumen emi-
nus intuens, mille circiter, & quingentorum
passuum interuallo distantes, consequitur na-
ues, quarum ad unam, itemque alteram acce-
dens, & ut admitteretur suppliciter postu-
las, cum acerbe minitantes hostes, inientaque
in se tela sensisset, quasi ad extremum perfu-
gium, contendit ad unam escaphis; cuius ad
marginem stans forte quidam hereticus pau-
lo mitior, tum Alphonsi aerumna, tum etiã
fortassis ab se deserta verae fidei, religionisque
recordatione commotus, excepit hominem,
penulaque contectum, ac furtim in nauem
impositum commentis quibusdam hostiũ fu-
rori, atque immanitati subtraxit. Duos autẽ
illos qui in Lusitanica naui relictĩ fuerant, eo-
dem genere mortis, eadem animi magnitudine
defunctos accepimus. Porro nobis hæc omnia
Sebastianus ipsemet Lopes exposuit. nos totã
rei gestæ seriem his consignatam litteris eidẽ

Sebastia-

Sebastiano recognoscendam ostendimus: cuius ille narrationis ueritatē, ac fidem suo rursus testimonio comprobauit. Quo etiam studiosius fecimus, ut hāc ad uos mitteremus epistolam, rati eo uobis gratiorem futuram, quo certiora perferrēt. Quod reliquum est, uestris omnium sacrificijs, precibusque, nos etiā, atque etiam Domino commendari percipimus.

Ulyssipponē V. Idus Decembris
M. D. LXXI.

Indigni uestrum omnium in Christo serui

Franciscus Henricus Rector Domus
Ulyssipponensis, & Socij.

Imprimatur. Petrus Dufina Vic. Gen.
Io. Franciscus Lombardus.